




Röpl. 350

R. 350

Röpl.

~~348a~~ 350



Tumultuantibus Philippi Macedonis hostili adventu Corinthiis, atq; aliis, aliam ob causam sollicitè per ut em, ut fit tali rerum statu, discurrentibus: legimus Diogenem, Corinthi tunc fortè habitantem, ociosum in tumultu illo non fuisse: sed dolium suum, volubilem domum suam, tam seriò sursum deorsum volutasse, quàm cæteri arma, reliquaq; ad bellum necessaria comportarent. Vos jam, ò Germani, cæteriç; bellatores magnanimi, gerendo bello Turcico incumbentes, me de re tanta scribentem, cogitate tantulum quendam Diogenem vel miserum etjam quendam Tantalum: nec tam suaviter deridere, quàm Hannibal Phormionem illum derisit Peripateticum: qui homo minimè militaris, de militia tamen, coram tanto Duce, ausus fuerat dissere. Non enim ad scribendum mea sponte veni, aut ostentandi ingenii, aut venandi proprii alicujus commodi causa: sed rogatus, ut in hac omnium cura & sollicitudine parandi belli, ipse quoq; aliquid agerem: si nihil aliud possem, vacuum potius Diogenis, quam plenum Bacchi dolium volutarem. Igitur Diogenico hoc dolio excitabitur quidam tantum strepitus, tum ad alios quosdam excitandos, tum ad sua sponte pronos & currentes magis etjam incitandos.

Bellum enim infert Christianis, nominis Christiani hostis barbarus, sed prudentia minimè barbara. Nam si non est literarum, nec tamen poculorum, sed armorum studiosus, sobrius, vigilans, belli sciens, in omnes fortunæ occasiones intentus. Videt ille optimè, per paucos jam Germanis esse claros militiæ Duces; Regem Hispaniæ bello distineri, & distrahi Belgico; Gallæ Principes de sceptro decernere ferro; Angliæ Reginam capitali odio à reliquis Christianis dissidere: Polonos, Venetos pacis induciis non posse adjumento esse Germanis: Et hos ipsos non esse concordēs, non consulere in commune, plerosq; privatis, quàm publicis commodis esse propensiores. Ex præteritis conjecturam facit de futuris: scit ademptum Christianis Bizantinum, Orientisvè Imperium, cum inter Græcos, & Latinos æstuantibus religione animis, nulla firma pax sanciri, aut stabilis concordia



iniri potuisset. Hinc jam animo concipit Occidentis etiam Imperium, quod discerptum novit ab aliquot Regibus, & Regulis: qui à communi aliquo Rectore non pendentes, arbitrato suo grassentur in inferiores: quibus grassationibus intra paucos annos plures confecti sint Christiani, quam vel ipse ex omnibus suis Christianis ad victoriæ suæ designationem posset educere: vel Christianis ad ipsam profligandum, planeque delendum forent necessarii. Istiusmodi rerum statu Romana olim Aristocratia corruit suis ipsius viribus: Pompejo æqualem, Cæsare superiorem ferre nolente, in festis est armis concursum, donec unius domiata forma Reipublicæ mutaretur.

Neque una, & simplex est discordia Christianorum, uti olim Romanorum, sed multiplex, & varia. Nam ad communem dominantem affectum miscentem & turbantem omnia, si unius alicujus vi & autoritate non coherceatur, accedunt capitalia, planeque fatalia, tum religionum, tum nationum dissidia. Religionis varietate distracti non trates, non plus possunt, quam in diversa nitentes equi, uni curru juncti: ut verissime dixerit Lactantius, religionem non à re legendam, ut Cicero voluit, sed à religandis animis nomen traxisse. Turcica superstitio tantam non recipit opinionum varietatem, totaque ad rem bellicam est accommodata: quippe cum intimis omnium sensibus hæreat infixum, unicuique à Deo præfinitum & genus, & tempus mortis, quod si in ipso pugne discrimine nec dum adsit, vel unum innumeros profligaturum Christianos: si autem hora fatalis jam præsto sit, ex prælium mox evoluturos in cælum: ibique eò majores paratas sibi voluptates, quod plures occiderint aut læserint inimicos. Nationum autem odia etsi naturalia sunt ob naturarum, morum, linguarum, studiorum dissimilitudinem, quam ad amicitias vel constituendas, vel retinendas aptam esse neget Aristoteles: cum tamen affectum minuit, temperatque Turcis prudentia quædam bellica: qua nulli non soleant fastidire hominum genus, in quo virtutis aliqua significatio appareat. Quæ quidem barbari planè imitantur veteres Romanos, qui ad le quavis ratione allectis & attractis

cu-

cujusvis nationis magnanimis viris, orbem complexi sunt terrarum.

Ad dictam prudentiam bellicam hoc accedit, quod redundantem, & generatione excrecentem hominum multitudinem, non sinit domi mori inutiliter: sed contra inimicos, præsertim Christianos, tanquam in colonias ablegant. Inde Regnum illud duplicem accipit commoditatem: alteram, ut domi minus multi sint facinorosi, quales parit multitudo in angusto solo minime apto plurimis alendis: expurgata autem tanta hominum quasi sentina, cæteri copiosius, & tranquillius domi vivunt: alteram, ut Imperii fines indies magis magisque proferantur, & novæ quotidie extructæ arces Christianis irrupturis objiciantur, omnisque eis facultas & spes recuperandi amissa regna præcidatur. Christianorum autem superfluum multitudinem partim capiunt monasteria (excipio eos, qui non egestate, sed vera ducti pietate sese abstrudunt in religiosam solitudinem) partim supplicia auferunt, partim pestis absumit: ubi enim hominum, ibi & sordium crescit multitudo: sordes facillè postea pestem concipiunt.

Jam verò in tanta prudentia bellica illud faciunt prudentissimè, quòd cum aliis in foedere, cum aliis interim Christianis bellum gerunt pervagato utentes stratagemate hostes dispersos sigillatim invadendi: non ignari, caudæ equinæ pilos seorsim facillè evelli, & singulas sagittas vel à puero posse confringi: quibus exemplis Sertorius & Scylurus Scythæ sunt usi, ut quantum possit concordia, quamque infirma sit discordia, docerent.

Tantam autem concordiam in tam vasta Imperii Turcici mole maximè conservat metus: qui Ciceroni malus est diuturnitatis custos, sed barbaris illis Regnum facit adamantinum: propterea quòd metus stabilis sit & durabilis in fervilibus ingeniis: amor autem mutabilis, etiam si multa beneficia dederis. Metuunt mancipia alieno arbitrio: amant ferè suo tantum: igitur magis in Tyranni manu est, ut timeatur, quam ut ametur & laudibus vehatur. Ex timore constans surgit Obedientia, quæ magnum imperii Turcici est firmamentum: cujus testes sunt pervulgatæ illorum,

A 3

rum,

rum, & percelebratæ hæ voces: unus in cœlis Deus, unus in ter-
ris Princeps.

Alta autem ingenia, cujusmodi multa alit Christiana Respu-
blica, abjecto metu potentiorum, miscet & turbant omnia re-
gnandi cupiditate, existimantes, omnia deberi suæ virtuti & sa-
pientiæ tam exaggeratæ, ut nec terra, nec mare, imò nec cœlum
ipsum eis jam magnum videatur. Utinam verò istiusmodi infini-
tæ humani ingenii mentes, immensis Philosophiæ finibus pos-
sent includi, melior profecto, tranquillior, & constantior foret
orbis Christiani status. Nunc autem ut orbis cœlestes perpetua
quadam vertigine rotantur, statisq; temporibus in idem, unde
discesserant, punctum reuertuntur: ita cœlum humanum, cere-
brum inquam altè spectans, nunquam quiescit, sed semper volvi-
tur, revolviturque: motuque suo eadem consilia, eadem bella,
eadem occasiones, eadem tyrannides, eodemetque omnigeni-
is felices, infelicesq; rerum eventus subinde tanquam in orbem
reducit. Quamobrem Plato, & Aristoteles dixerunt, naturales
quoque Rerumpublicarum esse conversiones: ducta ratione ex
analogia seu proportione, quæ inter Rempublicam, & singulos
homines, quibus Respublica constat, perspicitur. Singulorum
corpora hominum cum è contrariis elementis consistunt, eodem
semper statu permanere non possunt: sed in ea principia, ex qui-
bus coaluere, redeant aliquando oportet: ut suæ quidque naturæ
in mundo reddatur: ut quod igneum est, igni: quod aëreum, aëri:
quod aqueum, aquæ: quod terrestre suscepit, id totum terræ re-
stituatur. Itaq; omnis etiam Respublica ex variis, disparibus, dis-
crepantibus naturis conflata, & ad temperiem quandam redacta,
in seipsa habet interitus sui principium: quod legibus aliquandiu
compressum, & occultum, erumpit tandem per ambitionem, su-
perbiam, invidiam, avaritiam: sicuti in Græcorum & Romano-
rum factum Imperio scimus.

Et quemadmodum maxima quæque flumina ab exiguis orta
fontibus augentur subinde multorum rivorum & mediocrium
adventu fluviorum: aucta que in immensum & ipsa à mari absor-
ben-

bentur: sic magna Imperia, & Regna fieri solent minorum, majo-
rumque regionum accessione: id quod fieri vix potest sine mul-
torum injuriis & oppressione: ad summum tandem perducta fa-
stigium, à potentiori quopiam rapta, transferuntur ad alienam
stirpem. Cujusmodi rapina partim apertè exercetur, ut nunc
à Turcis, & Scythis: partim honesto aliquo prætextu velatur,
in quo religionis velum obtinet principem locum: quandoqui-
dem omnis religio pietatis se putet munere fungi aliorum culti-
bus delendis.

Unde perpulchrè Carneades apud Romanos, audientibus
Catone, & Galba Censoribus, disseruisse fertur: si justitiam &
æquitatem spectare vellent, ad restim, quod ajunt, ad casus qui-
dem certè, res eis redituras esse. Non enim à posteris, jure possi-
deri, quæ majores coram per fas, nefasque accumulaverant.
Omnem autem Romanorum potentiam, omnes opes ex rapinis
alienorum esse congestas. Prætexebant illi quidem varias bello-
rum causas: sed veram causam fuisse scimus infinitam habendi &
regnandi cupiditatem, quæ, Plutarcho teste, hisce gradibus assur-
git: Qui vincit, cupit esse liber: qui liber est, vult esse Domi-
nus: qui Dominus est, optat esse Princeps: qui Princeps est, desi-
derat esse Rex: qui Rex est, expetit esse DEUS, tonare quodam-
modo & fulgurare cupiens. Quid multa: ita certè vivitur in mun-
do, ut, qui plus armis possit, satis se habere causæ putet ad alios
opprimendos: sitq; idem inter homines, quod inter pisces in mari,
inter aves in aëre, inter feras in sylvis, ut imbecilliores prædæ sint
fortioribus. Hoc veteres quidam admirati, hominem esse quod-
dam Deorum ludibrium dixerunt: quod DEUS, & Natura ludere
videantur cum genere humano, uti pueri cum molli cera: quam
nunc in hominè, nunc in bestiam, nunc in corbem, nunc in aliam
atque aliam fingunt formam: confundentes priores, ac sæpè
quoq; formas meliores, ut novas faciant, quantum vis deterios
res. Quem fortunæ ludum contemplatus Seneca Poëta Tragicus
pulchrè depinxit hisce verbis.

Nulla

*Nulla fors longa est: dolor, ac voluptas
Invicem cedunt, brevior voluptas.
Ima permutat brevis hora summis.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.*

Atq; hanc Philosophiam ex Diogenis dolio (liquore tantum, non natura vacuo) depromptam putatote: melior procul dubio ex divinis literis, atq; ex aliorum etiam officinis Philosophorum afferri doctrina posset. Verum non stat mihi nunc aut in Theologorum infinitas possessiones exspatiari, aut philosophari hoc loco multis. Ad rem ergo,

Ob causas commemoratas, & ipse Turcarum Tyrannus jam animo, & spe, ut dixi, orbem Christianum expugnavit, & non pauci in Polonia, atq; Transylvania Christiani desperant nostræ Reipublicæ incolumitatem: desperatio autem illa præcipue est ob hostium multitudinem, & potentiam, quæ comprimi non posse videatur, nisi conjunctis Christianorum Principum omnium opibus, & viribus; ejusmodi verò conjunctio optanda magis, quam speranda credatur, cum in multis semper aliqui soleant esse, qui vel stoliditate, vel improbitate ab officio retrahantur? Stoliditatis est, ardente pariete vicino, expectare, donec propriæ incendiantur ædes: improbitatis autem, ob privata quædam sive commoda, sive incommoda, deserere bonum commune.

At vos ô Germani, reliquiq; cordatiores Christiani, nequam terrore isto animi vestri magnitudinem inflecti sinetis: sed quanto propius nos tantus hostis accedit, tanto magis de concordia inter vosmetipsos constituenda, de egregiis militiæ Ducibus perquirendis, de milite scribendo, primo quoq; tempore laborandum statuetis. Asianarum gentium major semper fuit multitudo, sed minor in bellis virtus: id quod & Græci, & Romani maximè verò Alexander, & Pompejus sunt experti. Idem hodie in Ungaria experiuntur milites Cæsariani, qui numero longè inferiorio-

feriores conferta acie impetu in hostes facto, magnam eorum multitudinem sæpè profligant, quorum tamen pleriq; sunt Europæi robustissimi, exercitatisimiq; latrones.

Magnum profectò imbecillitatis Turcicæ in tanta hominum multitudine, & virtutis Ungariæ in tanta militum paucitate, argumentum est, quod centum jam, & eo amplius annis, uni Ungariæ Regno subjugando tantus Tyrannus incumbit: ipseq; Solymannus omnium Ottomannorum bellicosissimus, quinquies in Ungariam dicitur totam ferè suam potentiam contulisse: nec tamen eam totam in potestatem suam potuit redigere: nec posterius ejus potuerunt. Omnino incomparabile propugnaculū Germaniæ fuit Ungariæ: estq; adhuc aliqua parte: quæ si à nobis deferatur, eadem prorsus erit conditio nostratium, quæ nunc est Ungarorum: atque haud scio, an Germania, tandiu resistere, ac repugnare Turcis possit, quàm hætenus restitit & repugnavit Ungariæ. Ea tota subacta, liber Turcis erit excursus in Germaniam, ipsiq; Ungari quasi deserti, & contempti à Germanis, omni animi impetu irruent cum Turcis in nostrates: eosque opprimere, excindere, spoliare, justum, gloriosum, & memorabile facinus esse ducent. Nam ut satis jam populosa, & armata sit Germania, tunc quidem certè quotidianis atrociniis, insidiis, velitationibus, preliis minutis, & majoribus, ad eandem redigetur paucitatem, ad quam nunc Ungaros videmus redactos.

Hoc autem tempore tota adhuc spes defendendæ Germaniæ in ipsis nostris hæret Germanis: si ex iis collectus exercitus alatur in finibus, non ad annum, sed aliquot annis, & tandiu, donec perpetuus Christiani nominis hostis à cervicibus nostris repulsus, & in Thraciam, vel in ipsam etiam usq; Asiam fuerit retrusus. Cujus negotii totius cardo in eo vertitur, ut ineat ratio, qua nunquam deficiens cogatur pecunia, ad exercitum continenter in finibus alendum. Non inepta fortasse fuerit ratio, si præter Principum, & Rerumpublicarum stipem in belli sumptus collatitiam, deni quiq; tum cives, tum rustici alant quotannis unum militem; sique ditiores etiam Nobiles, Generosi, Illustres

Domini, ex inutilibus deliciis aliquid detractum conferant in commune. Quae pecunia necessitate expressa efficietur, ut & diutius suis illi frui fortunis possint, & longius simul vitam producant, detracto gulae non necessario cibo, & potu. Posteaque decidendum aliquid erit ex superbo quoque cultu corporis mulierularum: eademque monenda, ne gravatim laboranti & periclitanti patriae subveniant. Flagitante Reipublicae necessitate Romani olim nec uxores, nec flamines suos, & sacerdotes immunes a contributione esse voluerunt. Et Imperator Antoninus cognomento philosophus, omnem Imperatoriam supellectilem vendere, ac splendore Aulico carere maluit, quam Imperio, quod a barbaris infestabatur, deesse. Hic generatim tantum de pecuniae ratione potui scribere. Pragmatici homines, quibus summa sapientia est, & privatim acquirendae pecuniae intelligentia, meliores sine dubio norunt rationes colligendae publicae pecuniae.

Diligenter vero inquiratur in rationes Belgarum, quibus per tot annos cum Rege invictissimo bellum gerentibus, (non facio alienam litem meam, sed quid ex ea decerpi possit boni, narro) satis semper fuit pecuniae. Inceatur igitur eadem ratio, qua illi sustinuerunt tantum & tam diuturni belli sumptus: neque prudenti parcendum pecuniae, ubi libertas periclitatur: cum verissimum sit, quod vulgo jactatur, Non bene pro toto libertas venditur auro. An vero tota Germania minus possit, quam Belgium? An minus etiam, quam nunc Hollandia, & Selandia?

Cumulata pecunia belli nervo, reliquum erit, ut quaerantur **HOMINES**, partim tales prorsus, quales Diogenes clarissimo die querebat accensa laterna, nec tamen inveniebat: partim etiam quales ubique sine laterna videbat. Primi generis sunt ingeniosi, prudentes, magnanimi, & regendis aliis apti: qui immortalem gloriam mortali corpore studeant comparare, aspersionemque putent hanc nostrae mortalitatis colluvionem: ex qua brevi alioqui discedendum sit, si non in bello, at in pace, fatali plane necessitate. Alterum hominum genus omnes eos complectitur, qui verè ventris tantum causa vivunt, qualium, ut Plinius

ait,

ait, maxima pars est mortalium: hi percolando cibo & potu, doliove suo pertuso implendo occupati, nihil altum, nihil magnificentum, nihil hominis praestantia dignum in vita designare possunt. Etsi enim verè nobilis etiam & ingenuus homo, non minus sine cibo potuque possit vivere, quam vel asinus, vel homo stolidus: dolet tamen, tanta ventris importunitate tam saepe, in rebus propriè ad hominem, ad religionem, ad doctrinam, ad rerum gerendarum gloriam pertinentibus, interpellari. Ex qua naturarum differentia, tum nobilitatis, tum ignobilitatis ratio, in orbem Christianum, atque etiam olim in Imperium Romanum profluxit. Quicquid enim optima parens rerum Natura sapientissimè facit: id mens humani ingenii, si modo sit ejusmodi, ut ex cogitatione conferri ad rem possit, diligentissimè imitatur. Facit autem Natura ex ignobili elemento nobilior: & contra ex nobiliori ignobilior: ut ex aqua aërem, vètos, tonitrua, fulmina; & vicissim ex aëre aquam fabricatur. Quod Naturae opus Christiana Respublica effingit, quando ex rusticis, & civibus intelligentibus, beneque pro artis & focis defendendis dimicantibus, facit nobiles: & hos rursum, si a virtute deficient & natales suos dedecorent, ad ignobilium deprimit conditionem.

Iam horum tam nobilium, quam ignobilium animos religionis controversiis exulceratos sanare poterit instans periculum, & consentiendi summa necessitas: ut belli saltem tempore sint unum, maneat unum, moriantur & unum: pro quibus ipse Christus est mortuus, quosque jungit unum foedus, unumque baptisma. Non me fugit, quam difficile sit, animi vulnus dissentientibus de religione opinionibus insicrū dissimulare. Sed quid facias? Finge tu qui meliore te donatum religione putas, rem tibi esse cum aegrotò valde impatiēte: cui in multis sit rebus connivendum, si prudenter agere, nec Charitatē scindere velis. Si conviciis Evangelicus afficeris, cogita illud tui Erasmi, fugax aetas, & vitrea valetudo, non quibuslibet rebus impendenda; Sed quae dā despicienda sunt, & animus ad magna erigendus. Verè magni est animi, quaedam injurias negligere, nec ad quorumlibet convicia habere

B 2

vel

vellinguam, vel aures. Si Catholicus aliquid pateris, volve animo illud tui Marsilii Ficini; ad majora ego debeo esse paratus. Didici enim a Zenone, & Socrate, ne ipsam quidem mortem esse pertimescendam: didici à Thalete, & Heraclito, cuncta mortalium sive bona, sive mala, dum oriri videntur, occidere: didici à Pythagora & Platone, dormire in corpore animum, & quæcumq; hic agere aut pati videmur, nihil aliud esse quàm somnia: didici denique a Christo Opt. Max. nobis defixis in omnem æternitatem oculis, cunctas mortalis hujus vitæ injurias esse negligendas. Et verò irreligiosis nostris de religione altercationibus infirmamus illam ipsam sanctissimam Christi religionem: prodita mortalium externo Republicam Christianam: ludificandos nos ad indignum modum Turcis, & Judæis præbemus: deridendos nos Ethnicis omnibus propinamus. Hi Augustini adhuc tempore Christianis imputarunt Romani Imperii dilacerationem, ejusq; brevi securam ruinam: quid nunc quæso illi dicturi essent? Quid verò Symmachus idolorum Pontifex? Is apud Ambrosium, persuadere Arcadio, Honorio, Valentiniano Imperatoribus volens, unicuique nationi suam esse religionem relinquendam, Omnes, inquit, gentes aspirant ad arcana divini numinis, sed non in eodem modo, cum non omnes ejusdem sint ingenii, sed variis viis ad eundem tendunt DEUM.

An non ille suam nunc Idolatriam, dissentientium Christianorum exemplo corroboraturus esset? Sint igitur animi liberi, & vacui perturbationibus: nihil non iuste ac prudenter, quod ad rem Christianam pertineat, judicetur: omnia præsentia, & futura pericula suo pondere examinentur, non dubito, quin decreta *quædam* bona fide in gratiam redituri, & conjunctis viribus atque opibus omnibus, in communem hostem sitis pugnaturi.

Nulla unquam cum hoste isto esse vobis vera pax & concordia potest: nec bello, nec pace tuteritis ab ejus insidiis. Et si enim non semper infert vobis bellum, semper tamen occasiones quærit vos opprimendi. Negligit omnem animi culturam, a Musis & Grævis alienissimus: ut nullam vivendi causam iis relinquat, qui

qui ingenio, quam ventre malunt vivere. Contemptis artibus liberalibus unam colit rei militaris disciplinam: qua opprimemini tandem (experientiæ credite) nisi provideritis. Accidit etiamnum vobis, quod finitimis Romæ populis, qui apud Livium conqueruntur de Roma, castra potius quàm urbem in medio positam, quæ pacem omnium & tranquillitatem turbaret. Tollit omnem nocilitatem, ne supersint qui impatientia servitutis, & contemptu propriæ salutis, aliquando ipsum tollant Tyrannum. Imperium suum non æquitate, sed hastæ longitudine metitur: nimirum omnem eum agrum suum esse centet, quem vi & armis occupare possit. Fide non stat in dictis atque conventis, fœdera eatenus servanda existimans, quatenus Tyrannidi suæ augendæ conducunt? Sic non ita pridem hic Amurathes fœdus rupit Persis: sic nunc idem frangit Christianis. Durissima premit servitute omnes Christianos, qui Christo nuntium remittere, & Mahometi nomen dare suum recusant: non liberis eorum, non uxoribus, non supellectili parcat miles, qui vis quovis tempore in ædibus illorum impunè & tentat & perficit. Unus omnia tenet, ceteri omnes ejus mancipia ad pecudum utilitatem abjecta: ut valde mirandum sit, & auditu horrendum, esse quosdam in Germania Christianos, qui dicitent, se Turcico Tyranno malle parere, quàm Catholicorum societatem amplecti. Colludit nunc ille quibusdam Christianis tantisper, dum devictis potentioribus, eos quoque veram servire servitutem cogat. Exemplo sint Græci, omnesque alii, qui ad sacra Mahometis necdum defecerunt. Eadem planè nunc est ratio Turcarum, & Christianorum, quæ olim fuit Persarum, & Græcorum: illi barbari, hi humanitate perpolit: illi ducebantur superstitione, hi ratione: illi multitudine, hi arte pugnabant. Xerxes quinquages centenis hominum milibus in Græciam invasit, nec tamen victor, sed turpissimè victus fuit. Facefsat proinde animorum pusillitas, & desperatio ob hostium multitudinem, quando non tam multitudine vincit, quàm ordinem ex arte militari instructio, & pugnandi, vincendique pertinacia, ex conscientia bonæ causæ nata: quibus virtutibus

nostrates longè antecellunt Turcis, Græci olim, & Romani prodigi vitæ fuerunt odio servitutis, amore patriæ, atque commodum miseræ hujus vitæ: & vos Christiani, quibus patria est æternitas, veræ divitiæ diuinitas, mortalem hanc vitam immortalitati antefertis?

Sed jam facio finem, infinite rogans magnificè generosum benignissimumq; D. Anselmum de Vels in Intzing, Sacratissimæ Cæsareæ Majestati à Consiliis Cameræ Aulæ, patronum incomparabilem, ut breve hoc scriptum suo tueri patrocinio contra malevolos dignetur. Invidum enim mortalium ingenium arrodit & lacerat omnia, ne à sanctissimisq; viris abstinens, nedum à me, quem calumniatoribus valdè opportunum reddidit superioribus annis iniquitas fortunæ. Quocirca optabam etiam Magnifici D. D. Jacobi Curtii ab Senftenavv, nō tantum genere, sed ingenio, & doctrina clarissimi viri, Sacræ Cæs. Maj. à secretis Consiliis, & Imperii Procancellarii patrocinium: verum non ausus sum præsens præsentem tantum Heroem compellare: nunc tamen Diogenis hoc dolium ad ædes illius devolvendum curavi. Ut enim nec magni momenti, nec tanti & tam eruditi Domini cognitione dignum, volubilitate tamen sua & strepitu (inania siquidem majorem, quam plena edunt sonum) excitabit fortasse & pertrahet in eam speculam: ex qua divus Hieronymus universam terram sub pedibus positam optabat videri, ut Hierodoro suo ostendere posset totius orbis ruinam: gentes gentibus, regnis regna collisa: alios torqueri, alios cœcari: alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi, hic nuptias, illic plandū: illos nasci, hos mori: alios diffidere delitiis, alios mendicare. Quam rerum memoria si laboranti Re publicæ subveniri nō possit à viro sapiente, at luctus ipsi minuitur, & animo ejus præitans illa divi: atq; sapientia ingeneratur: qua (ut Ciceronis utar verbis) perceptas penitus, & pertractatas habeat res humanas: qua nihil, cum acciderit, admiretur: nihil antequam evenerit, non evenire posse arbitretur. Omnia autem homini, quantumvis sapienti & potenti, evenire tandem posse, cum ipsa loquitur experientia (videmus

en m

enim eos etiam, qui sapientissimi & potentissimi habentur, paulò momento prostratos extremis malis confici) tūc nō retinet clarissimi Astrologi admirabilis illa sententia: qua Cœlo quies, Terræ circularis motus tribuitur. Stat quodammodo Cœlum ob tam stas leges motuum, certasque vices revolutionum: Terra autem volubilis cernitur infinitis turbis, bellis, aliisque miseriis. Unde magni quidam philosophi dixerunt, cum Cœlum aspiciamus, facile nos divinam agnoscere providentiam: Sed cum ad terram oculos reflectimus, omnia Fortunæ arbitrio relicta, omnia videri cæco casu volvi. Qua orbis humani volubilitate, in bello civili inter Cæsarem & Pompejum orto offensus Cato philosophus Stoicus, magnam esse in rebus divinis caliginem exclamasse, sibiq; ipse mortem conscivisse dicitur. At Christianus philosophus altius evehctus, omnia vitæ incommoda divinæ adscribit providentiæ: quæ commodis, incommodisque permiscendis, vitam hominum temperare solet: ut dissipatas per secundam fortunam animi partes recolligat per fortunam adversam: ut cum humanum corpus deteriori post mortem sit conditione, quam belluarum (nemo enim ex mortuū hominis vel amicissimi corpore aliquid cupit habere: ex bestiarum autem cadaveribus expetuntur permulta, ut pelles, cornua, dentes) aliquid saltem animi studeat viventibus relinquare.

FINIS.



